

1989-03-06 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Caelestis Matris’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

CAELESTIS MATRIS

**BEATA MARIA VIRGO QUAE «MADONNA DEL PILERIO» DICITUR
QUAEQUAE IN ARCHIDIOECESI CESENTINA-BISINIANENSI COLITUR
EIUSDEM SEDIS CAELESTIS CONFIRMATUR PATRONA**

Ad perpetuam rei memoriam. – Caelestis Matris bonitatis in fideles et beneficentiae complura ubique exstiterunt testimonia. Nihil mirum igitur quod usque ad Eandem decurrunt fideles suumque animum patefaciunt, et Eiusdem se commendant tutelae. Libenter ergo aequae ac laetanter postulatis concedendum esse duximus Venerabilis Fratris Dini Trabalzini, Archiepiscopi Cosentini-Bisinianensis, qui iustis sane precibus expostulaverat, litteris die VI mensis superioris Februarii datis, ut Beata Maria Virgo, populari sermone «Madonna del Pilerio» vocitata, caelestis Patrona apud Deum archidioecesis confirmaretur, ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, pro comperto quoque habentes eodem fideles teneri studio.

Itaque, iis quidem probatis quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum de hac re gessit olim a Nobis factis facultatibus, placet Beatam Mariam Virginem, cuius titulum supra memoravimus, caelestem Patronam esse et haberi, iuribus pariter additis ac privilegiis quae secundum Rubricas hunc honorem consequuntur. Contrariis rebus minime obstantibus.

Ipsam denique vehementer deprecamur caelestem Advocatam ut huius archidioecesis fidelium populum, marialis anni occasione erga Eandem renovato amore incensum, omnibus tueatur praesidiis omnibusque cumulet beneficiis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Martii, anno Domini MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

AUGUSTINUS card. CASAROLI *a publicis Ecclesiae negotiis*